

quam supra pag. 9. §. 6. dederat; *substantia* est *ens separatum ab omni alio existens*; siue *in cuius existentia unum aliquod individuum involuitur*. Hanc definitionem ita confirmat: *quicquid existit rerum creatarum* (quæ per se existunt;) *existit independenter ab omni alia re creata & separatum*; siue *eius existentia non indiget existentia alterius rei*, adeoque *vnus individui est, quod substantiam appellamus*. Ita vir Cl. didicit ex Cl. Leibnizio; quem pag. seq. 10. scribit *præclare dixisse: Rectissime obseruatur, unum non esse multa; scil. eodem respectu; ceteroquin diuerso respectu unum potest esse multa.* Vti corpus humanum est *unum*; attamen multa habet membra, multasque partes, & quidem compositas. *Mons est unus*, sed constat multis lapillis aliisque partibus etiam compositis, &c. Addit Leibnizius: *sed propter hoc ipsum neque aggregatum substantiarum substantia est.* Sed hæc mera est *petitio principii*, supponendo τὸ οὐρανόμενον, nim. *substantiam separatum ab omni alia substantia, ergo simplicem, sine partibus, existere, & aggregatum plurium partium non esse substantiam, sed substantiarum aggregatum.* Idem esset, ac si quis diceret, *numerum denarium, vicenarium, centenarium, millenarium, &c. non esse numerum, sed numerorum aggregatum; numerum esse debere simplicem, qui non constat ex pluribus numeris.* Vel & idem esset, ac si quis diceret, rem corpoream non esse corpus, sed plurium *corporum aggregatum*; vti & Cl. Parent in suis Disquisitionibus Mathematicis & Physicis *corpus* definit per *multitudinem innumeram corporiculorum similium & citra confusionem conjunctorum.* Sed hanc esse *petitio principii*, statim ostendam. Pergit Leibnizius: *Interim ubi est multitudo vel pluralitas, unitas adsit oportet; multitudo enim sive numerus ex unitate resultat.* Recte, sed ostendendum erat, esse *simplicia ita una, ut non habeant partes plures.* Vti dictum est, *corpus humanum esse unum, licet plura habeat membra, plurimasque partes.*

XXXII. Sed veram notionem *substantiae* explicare, & examinare eius definitionem præc. §. propositam, hic oportet. *Substantiae* vox opponitur voci *accidentium*, siue *modorum*, quorum esse est *inesse*; adeoque *modi & accidentia semper indigent subiecto, quod illis subiicitur, in quo sint & existant, sine quo esse non possunt.* Hinc negatur, ea per se, se solis, sine subiecto existere posse. E. Gr. C motus,